JO. JAC. DILLENII

Germani ; Profeſſ. Botan. Oxon.

METHODUS MUSCORUM.

1. Nova certe detexit regna Cl. DILLENIUS, dum ſolus, & uno eodemque tempore, tantum plantarum protraxit exercitum ex obſcuro, in quo a ſeculis latuit, ut majorem certe nullus umquam.

2. Antea perſuaſi erant Botanici plantas Europæ facile omnes dudum eſſe cognitas, cum tamen Cl. Author plus quam ducentas, maximam partem plane incognitas, licet ubique vulgares, detegere potuerit.

3. Has omnes plantas minimas ſeu *Muſcos*, tam eleganter in certas digeſſit phalanges, ut nullus qui dein novam tentavit methodum, ullo modo cum Authore noſtro certare poſſit.

4. Quæ antea de Muſcis dedere *Bobartius* & *Rajus* in Hiſtoriis ſuis plantarum, cum nil niſi ſcopas diſſolutas exhibuerint, paucioribus gratos ſe præſtitere. *Vaillantii* quidem icones egregii ſunt, methodus vero nullo modo comparanda.

5. Ad majorem longe *perfectionem*, ſive genera ipſa, ſive ſpecierum numerum, ſive *ſynonyma* reſpicias, hanc Muſcorum methodum deduxit Cl. Author in *tertia editione Synopſeos Rajanæ*.

6. Nil magis ſupereſt, quam quod publici juris faciat Egregius Author integram Muſcorum Hiſtoriam, *figuris* adeo nitidis in qua ſingulæ quæque depinguntur ſpecies, ut pulchrius quid me vidiſſe vix meminerim, quam collectionem hanc, cujus inſpiciendi copia in Muſeo Dilleniano, nobis data quondam fuit.

DILLENII *Catalogus plant. circa Giſſam.* Francof. 1713. oct.
Appendix ad catalogum pl. Giſſ. Conjunctim.
Raj ſynopſis angl. editione tertia. Lond. 1734. oct.

Clavis generum.

- Capitulis floridis destituti.
  - Non peltati
    - Lanuginosi l. pulverulenti — *Byssus*
    - Filamentosi — *Conferva*
    - Folioſi — *Ulva*
  - Peltati — *Lichenoides*
- Capitulis floridis ſ. ſeminalibus donati.
  - Difformibus. — *Mnium*
  - Uniformibus.
    - Capitello donati
      - Calyptris donatis
        - petiolis nullis l. breviſſimis inſidentibus. *Fontinalis*
        - petiolis longioribus
          - e foliorum alis — *Hypnum*
          - e ſummis cauliculis
            - calyptra villoſa — *Polytrichum*
            - calyptra lævi — *Bryum*
      - Non calyptratis — *Sphagnum*
    - Capitello carentibus
      - Florum figura diverſis
        - Sparſis & ſolitariis
          - monococcis — *Selago*
          - polycoccis — *Selaginoides*
        - Aggregatis, in clavam digeſtis.
          - monococcis — *Lycopodium*
          - polycoccis — *Lycopodioides*
      - Flores per dehiſcentiam referentibus
        - Simplicibus & monococcis. — *Lichenaſtrum*
        - Compoſitis & polycoccis. — *Lichen.*

CHARACTERES GENERICI.

1. BYSSUS eſt muſci genus infimum & ſterile, ex tenuiſſimo & nudis oculis imperceptibili vellere conflatum, nunc pulveris ſubtiliſſimi, nunc lanuginis tenerrimæ forma, variis rebus innaſcens & diu plerumque durans.

A. *Byſſus* tomenti inſtar.
B. *Byſſus* pulveris inſtar.
C. *Byſſus* papyri inſtar.

2. CONFERVA eſt muſci genus ſterile & capitulis floris deſtitutum, imo nec peltis nec tuberculis donatum, ex meris foliis teretibus & uniformibus in tenera capillamenta diviſis, conſtans.

A. *Confervæ* ſimplices.
B. *Confervæ* ramoſæ geniculatæ.
C. *Confervæ* ramoſæ nodoſæ.

3. ULVA eſt muſci genus ſterile à conferva (2) in eo diverſum, quod e planis & valde tenuibus, modo latis, modo anguſtis, quandoque tubuloſis foliis conſtet.

4. LICHENOIDES eſt muſci genus peltatum & tuberculatum, capitulis floriferis deſtitutum.

A. Lichenoidea caulifera, capillacea.
B. Lichenoidea caulifera, coralliformia, non tubuloſa.
C. Lichenoidea caulifera, coralliformia, tubuloſa.
D. Lichenoidea caulifera, pyxidata.
E. Lichenoidea caulifera, fungiformia.
F. Lichenoidea cauliculis deſtituta, mere cruſtacea.
G. Lichenoidea cauliculis deſtituta, foliis ſcutellatis, arcte adnaſcentibus, gelatinoſis.
H. Lichenoidea cauliculis deſtituta, foliis ſcutellatis, arcte adnaſcentibus, exſuccis.
I. Lichenoidea caulic. deſtit. foliis liberioribus ſcutellatis.
K. Lichenoidea caulic. deſt. foliis liberioribus, peltatis.

5. MINIUM.

5. MNIUM eſt muſci genus fertile, ſeu capitulis floridis & ſeminalibus donatum duplicis generis. *Alia* non nuda & pulverulenta ſunt: nulla nec capſula, nec calyptra, imo nec membrana cincta. *Alia* vero reliquis floriferis muſcis (7. 9.) ſimilia obſervantur.

A. Mnium capitulis in eadem planta conjunctis.
B. Mnium capitulis tota planta remotis.

6. FONTINALIS capitula uniformia ſeſſilia, nullis aut breviſſimis pediculis innaſcentia, per maturitatem ſuperiori parte tranſverſim aperientia & capitulum demittentia.

7. HYPNUM eſt muſci genus fertile capitulis uniformibus calyptratis donatum, quorum calyptræ oblique plerumque iis inſident, capitella vero nunc dentatim, nunc æquali margine tranſverſim abſcedunt, pediculis plerumque longioribus e foliorum alis ſecundum longitudinem cauliculos & ramulos egredientibus, ad imam partem ſquamoſo involucro, a foliis diverſo, cinctis.

A. Hypnum capitulis erectis, foliis triangularibus latioribus.
B. Hypnum capitulis erect. fol. triangular. anguſtioribus.
C. Hypnum capitul. erectis, fol. tenuiſſimis. [*Sericeum.*
D. Hypnum capit. erectis, fol. & ramulis pennatis. [*Filicina.*
E. Hypnum capit. erectis, fol. & ramul. criſpis. [*Cupreſſina.*
F. Hypnum capitulis reflexis.

8. POLYTRICHUM eſt muſci genus fertile cui capitellum æquali plerumque margine tranſverſim abſcedit, capitellum tum calyptra tectum recta & villoſa. Caules erecti, minus ramoſi, e ſummitate l. furculis annotinis pediculos ſine ſquamoſo ad radicem involucro, emittentibus.

A. Polytrichum capſula quadrangulari.
B. Polytrichum capſula ſubrotunda.

9. BRYUM eſt muſci genus fertile, calyptra lævi, petiolis e ſummis cauliculis l. ſurculis annotinis ſine ſquamoſo ad baſin involucro emittens: caules recti. Calyptræ modo rectæ, modo inclinatæ. Capitula nunc æquali, nunc dentato margine tranſverſim abſcedunt.

A. Brya capitulis erectis, foliis latiuſculis.
B. Brya capitulis erectis, foliis anguſtioribus.
C. Brya capitulis erectis, foliis anguſtiſſimis.
D. Brya capitulis reflexis.

10. SPHAGNUM eſt muſci genus fertile, capitulis capitello inſtructis, calyptra carentibus, pediculis breviſſimis & fere nullis inſidentibus.

A. Sphagnum ——— ——— ——— [M. *Apocarpos.*

11. SELAGO eſt muſci genus fertile, pediculis & capitello deſtitutum, capitula enim in foliorum alis ſedent, veniformia, bivalvia, longitudinaliter bifariam dehiſcentia.

12. SELAGINOIDES differt a Selagine (11) quod capitula è tribus quatuorvè granis compoſita ſint, & per maturitatem in totidem capſulas ſe aperiant.

13. LYCOPODIUM differt a Selagine (11) capſulis in Clavam denſe congeſtis, ſub ſingulis nempe ſquamis ſingulæ capſulæ veniformes & bivalves poſitæ ſunt.

14. LYCOPODIOIDES ſimili ratione differt a Lycopodio (13.), quo Selaginoides (

15. LI-

15. LICHENASTRUM eſt muſci genus fertile, cujus capitula longis petiolis inſident, per maturitatem in 4 plerumque partes æquales, cruciformem florem referentibus, ad baſin uſque dividuntur. Capitula ſunt ſimplicia, nuda, petiolis e folliculo nunc ſimplici, nunc bivalvi, nunc in plures partes per ſummitatem diviſo.

A. Lichenaſtrum capitulis bifariam ſe aperientibus.
B. Lichenaſtrum capitulis in 4 ſegmenta aperientibus.

16. LICHEN eſt muſci genus floriferum æque ac ſeminiferum, cujus *florida capitula* polycocca ſunt varia figura donata, plures per maturitatem floſculos monopetalos varie diviſos emittentia. *Semina* vero peculiaribus aliis capſulis patulis, in foliorum plano ſeſſilibus, nunc in iiſdem cum capitulis his, nunc in aliis individuis ejuſdem ſpeciei, parva, compreſſa, orbiculata. Præter florifera etiam in diverſis ſpeciebus obſervantur capitula *umbellata*, nec florifera, nec ſeminifera, pediculi utriuſque nudi ſunt, nec è folliculo proveniunt.

A. Lichenes pileati.
B. Lichenes ſtellati.